

Paulus Episcopus Servus servorum Dei

Dilecto filio Roberto tituli Sanctae Mariae in via Presbytero Cardinali Bellarminio nuncupato salutem, et Apostolicam benedictionem. Ad personam tuam, quam multiplicum gratiarum muneribus illarum largitor insignivit Altissimus, dirigentes paternae considerationis intuitum, et attente prospicientes, quod tu Romanam Ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum, quin potitis^u debitum reputamus, ut illud specialibus favoribus, et gratiis prosequentes ea tibi libenter concedamus, per quae de redditibus ecclesiasticis personis ibi gratis, et acceptis prospicere, et erga illas gratiosum te reddere possis. Cum itaque nos alias postquam pensionem annuam mille scutorum monetae certis modo et forma tunc expressis liberum, immunem, et exemptum dudum antea venerabili fratri nostro Antonio Archiepiscopo Capuano, dum adhuc in minoribus esset, super monasterii abbatiae nuncupati Beatae Mariae, seu Sancti Silvestri terrae Nonantulae Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis nullius dioecesis provinciae Bononien. seu Ravennaten., quod dilectus filius Magister Alexander Matthaeus Romanus, et Camerae nostrae Apostolicae Clericus, et Praesidens, in commendam ad eius vitam ex concessione Apostolica obtinet, fructibus, redditibus, et proventibus, sibi quoad viveret, vel procuratori suo ad id ab eo speciale mandatum habenti per dictum Alexandrum, et successores suos dictum monasterium, ut praefertur, aut alias pro tempore quomodolibet obtinentes annis singulis pro una videlicet in Domini nostri Iesu Christi, et altera medietatibus pensionis huiusmodi in Beati Ioannis Baptistae Nativitatem festivitibus ~~per~~ Romae integre persolvendam, Apostolica auctoritate reservatam, constitutam, et assignatam, ipsius Antonii Archiepiscopi expresso ad id tunc accedente consensu Apostolica auctoritate sub certis modo et forma tunc expressis cassaverimus, extinxerimus, et annullaverimus, tibi, qui regimini, et administrationi Ecclesiae Ca-

/ puanae, cui tunc ex concessione et dispensatione Apostolica praeeras
in manibus nostris sponte, et libere cesseras; nosque cessionem hui-
usmodi admittentes eidem Ecclesiae, ut praefertur apud Sedem Aposto-
licam pastoris solatio destitutae, de persona eiusdem Antonii Archi-
5 episcopi nobis, et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum,
accepta de fratrum eorundem consilio per alias nostras literas pro-
viderimus, ne ex cessione huiusmodi nimium patiaris, sed ut statum
tuum, iuxta cardinalatus sublimitatem decentius tenere, et expensa-
rum onera, quae te iugiter de necessitate subire oportebat, facilius
10 perferre valeres, aliam pensionem annuam aliorum mille scutorum si-
milium cum omnibus, et singulis exemptionibus, immunitatibus, decre-
tis, et clausulis tunc expressis super eiusdem monasterii fructibus,
redditibus, et proventibus: tibi quoad viveres, vel procuratori tuo
ad id à te speciale mandatum habenti, per Alexandrum, et successo-
15 res praefatos annis singulis persolvendam; et per te sub certis mo-
do, et forma percipiendam, exigendam, et levandam, ac in tuos usus, et
utilitatem convertendam, motu proprio dicta auctoritate reservaveri-
mus, constituerimus, et assignaverimus: Nos, qui dudum inter alia
voluimus, et ordinavimus, quod literae reservationis, vel assignatio-
20 nis, et motu proprio cuiusvis pensionis annuae super alicuius bene-
ficii fructibus, expediri non possint, nisi de consensu illius, qui
dictam pensionem persolvere tunc haberet, te praemissorum meritorum
tuorum intuitu amplioris gratiae favore prosequi volentes, ac prio-
ris reservationis pensionis mille scutorum, illiusque cassationis, et
25 novae illius reservationis tibi, ut praefertur factae, tenores prae-
sentibus pro expressis habentes motu simili, non ad tuam vel alteri-
us pro te nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostra
mera liberalitate tibi, ut quicumque loci ordinarius, aut alia per-
sona in dignitate ecclesiastica constituta, vel canonicus cuiuslibet
30 cathedralis ecclesiae, ad id per te pro tempore eligendus, seu eli-
genda, etiam coram solis notario publico, et testibus etiam absque

/ Alexandri,et successorum praefatorum monasteriorum huiusmodi in
commendam,seu titulum,aut alias pro tempore quomodolibet obtinen-
tium consensu, in Romana Curia,vel extra eam ubilibet, tam in Ita-
lia,quam extra eam, ac etiam in infirmitate,seu mortis articulo, de
5 tuo expresso consensu cassare, extinguere,et annullare, eaque sic
cassata, extincta,et annullata aliam pensionem annuam cassatae si-
mitem quingentorum scutorum huiusmodi in totum,vel parte simul,
vel successive uni,seu pluribus personis Ecclesiasticis, etiam quae
cumque, quocumque,et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cu-
10 ra,et sine cura quomodolibet obtinentibus,vel expectantibus, tibi
bene visis,ac pro te arbitrio tuo quandocumque etiam in eodem mor-
tis articulo nominandis,seu designandis, etiam cum omnibus,et sin-
gulis exemptionibus, obligationibus, cautionibus,vinculis,clausu-
lis,et decretis in priore reservatione praefata expressis,et con-
15 tentis, etiam absque aliquo Alexandri,aut eius successorum praefa-
torum desuper habendo,seu praestando consensu, immo illis reclama-
ntibus,et invitis, valide,et efficaciter reservare, constituere,et
assignare libere,et licite valeat, dicta auctoritate earumdem te-
nore praesentium concedimus,et indulgemus. Non obstantibus volun-
20 tate,et ordinatione nostris praefatis,ac quatenus opus sit, Late-
ranensis Concilii novissime celebrati pensiones annuas super fruc-
tibus mensarum episcopaliū, et forsan Abbatialium,ac monasterio-
rum, nisi ex cessionis,aut alia probabili causa reservari prohiben-
tis, aliisque Constitutionibus,et Ordinationibus Apostolicis, nec-
25 non monasterii,et ordinis praefatorum iuramento; confirmatione A-
postolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis,et consue-
tudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis ei-
dem monasterio, illiusque abbati,seu perpetuo commendatario, ac a-
liis superioribus,et personis sub quibuscumque tenoribus,et for-
30 mis, ac cum quibusvis etiam derogatoriārum derogatoriis, aliisque
efficacioribus,et insolitis clausulis, irritantibus,et aliis decre-
tis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus,

/ tis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus,
etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica,
expressa,et individua, non autem per clausulas generales idem im-
portantes mentio,seu quaévis alia expressio habenda foret, illis
5 alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter,et
expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli er-
go omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis indul-
ti,et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, Si
quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipoten-
10 tis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit
incursurum. Datum Romae apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Do-
minicae millesimo, sexcentesimo duodecimo nonis Iulii,Pontificatus
Nostro anno octavo.

J.B.Ginus.

15 Summar. add. p.102=104.